

Sic igitur victor morientis munere fratris
Hoc laudis cursu præmia solus habes.
Ut tamen hîc essent etiam solatia victis,
Et sua defunctis gratia lausq̄ foret;
Æneas, clypeum Niso, Didymaonis artes:
FRISCHLINO nomen Musa perenne, dedit.
Hac igitur nactâ tantorum laude laborum,
Ingenij fœtus promere perge tui.
Te inuet heroo Circenses carmine Ludos
Scribere, Tecciaci magna reperta Ducis:
Seu quæ Mars gessit ficta sub imagine belli,
Seu quas euomuit Mulciber ore faces.
Zolleriusûe Comes nuper Fridericus Itellus
Quæ fecit Nato pacta Hymenæa suo.
Teutonicis primùm inuet hæc describere rhytmis,
Mox eadem Latio reddere verba sono.
Tùm quoq̄ Romano Reutlingæ mœnia versu
In lucem à priscis erue temporibus,
Mœnia non vllis quondam pietate, secunda:
Mœnia fortuitis Anchora sæpè reis.
Perge, opus inceptumq̄, adnixis viribus vrge,
Et fama ætherios scandere disce polos.
Interea cedat NICODEMO gratia fratri,
Venturæ strauit qui tibi laudis iter.

F I N I S.